

Trudp. Neugart: *Historia monasterii ord. s. Bened. ad s. Paul. in valle inf. Carinth. Lavantina. Clagenfurti 1848 u. 54. Necrologium des Benedictinerstiftes St. Paul von Beda Schroll in: Arch. f. vaterl. Gesch. 10, 33—240. Urkundenbuch von St. Paul von B. Schroll in: Fontes r. A. Abtheil. II. Bd. 39. Wolf 94—100. Carinthia 1876: Kurze Geschichte des Benedictinerstiftes St. Paul von B. Schroll. Benedictinerbuch 301—30. Lehenverzeichnisse des Benedictinerstiftes St. Paul aus dem 15. Jahrh. von B. Schroll in: Archiv f. öst. Gesch. 34, 288—343. K. Neubauer: Die nachweisbaren Besitzungen des Kl. St. Paul in Kärnten und Steiermark in den Jahren 1091—1269. Programm der k. k. Ober-Realschule in Marburg. 1883.)*

(Continuatur.)

Quaestio liturgica

de Evangelio post III. Nocturn. offic. Nativit. D. cantando.

Saepe numero occasione recurrente in mentem mihi venit quaestio, **quod** Evangelium esset canendum post hymnum Ambrosianum in officio Nat. D. N. J. Chr. Nam cum in recentioribus breviariis fere apud omnes O. N. monachos receptis (si excipias brev. Maurinum) quatuor Evang. cum suis homiliis legantur, dubitari facile potest, quod ex his quatuor, »Liber generationis,« an »Exiit edictum,« an »Pastores,« an »In principio« sit decantandum in fine. In diversis diversa reperiuntur. Sunt enim breviaria (v. g. Campoduni 1677, 1718, Styrae 1732 edita) et directoria, quae praescribunt Ev. Exiit decretum, procul dubio propterea, quod hoc Ev. concordat cum Missa I^{ma}, quae immediate sequitur. Vel novissima (1884) editio Tornacensis in appendice partis hyem. (292*) huic usui alicubi adhuc vigenti locum concedit. — Reperire etiam potes usum cantandi Ev. In principio, v. g. in consuetud. S. Emmerami monast. Ratispon. saeculo elapso conscriptis. Fortasse hoc Ev. eligebatur, quia Summae Missae (III^{ae}.) respondet.

Ast in longe plurimis breviariis O. N. iisque probatissimis (v. g. Venet. 1764, Einsidlen. omnibus, Rom. 1858, Mechlin. 1860 und 1882, Tornac. 1884) exhibetur loco competenti Ev. Liber generationis. Ipsa breviaria Congreg. S. Mauri (v. g. Vindobon. 1842) et SS. Vitoni et Hydulphi (v. g. Nanceii 1759, 1777 ed.), quae huic festivitati omnino nullas tribuunt homilias, tamen in fine praescribunt Ev. Lib. Generat. Quin et Campodunensis (1758) et Styrensis (Vindob. 1843) breviarii editiones recentiores quasi ad meliorem sensum revocatae Evangelium »Liber gener.« receperunt. Et recte hoc fecisse mihi videntur. Nam et antiquitas tota huic usui suffragatur, et rationes sat graves eum commendant.

I. Si antiquos monachorum ritus consulis, quos D. Edm. Martène noster edidit, libro III. c. 4. n. 2 consuetudines reperies, in S. Dionysii monasterio prope Parisios sito saec. XII. usitatas: in II^o. Noct. huius festi fuit lectio V^a. de Ev. Exiit edictum, VI^a de

Ev. Pastores, reliquae de sermonibus Nativitatis; IX^a lect. (in III^o N.) de Ev. In principio, reliquae de eodem (homiliae); . . . post Te Deum Laudamus legat Dns. Abbas Evangelium: Liber generationis etc. — Conveniunt cum illis *Compendienses* (Compiègne) S. Cornelii etc. — Juxta ordinarium antiquum, quod apud Cassinenses nostros erat in usu (apud Martene l. c. n. 4), in III^o Noct. offic. Nativ. quatuor legebantur homiliae, ex quarum initiis facile colligimus, eadem quae nunc quatuor Evangeliorum prima verba praeiisse; demum expressis verbis ibidem (n. 5) legimus, Abbatem post hymn. Te Deum laud. super analogium decantasse Ev. Liber Generationis. Eandem viguisse consuetudinem in aliis O. N. monasteriis ex ipso eruditissimi collectoris silentio conici licet; nam si uspiam alius ritus in usu fuisset, procul dubio diligenter D. Martène eum annotasset. — Cluniacensium porro institutio passim observabatur. Praesto est ordo Cluniac. a Bernardo monacho saec. XI. conscriptus, ubi legimus (part. II. c. 5 ap. Hergott, vet. disc. mon. pg. 288): lectio nona duaeque sequentes de homilia Bedae presb. super Ev. In principio; duodecima de hom. S. Gregorii Pp. super Ev. Exiit edictum; finito Evangelio Liber generationis post Te Deum laudamus etc. Eadem fere habet Ulricus Prior in consuet. Cluniac., quas rogante et impetrante B. Wilhelmo Abb. Hirsaug. in lucem edidit; nudis verbis (l. I. c. 46 apud Migne patr. lat. Vol. 149 col. 692) dicit: Evangelium quod legendum est (in fine), est de generatione Christi secundum Matthaeum.

Praeter multa alia edita eandem rem docent totidem inedita antiquitatis documenta. Ut unum afferam, in consuetudinibus A. b. Sigeberti, quas manu saec. XII. exaratas perhibet Cod. lat. Monac. 14765, quondam Ratisp. S. Emmerami, legimus: Post Te Deum laud. legat Abbas Ev. Liber generationis J. Chr. Or. Deus qui hanc sacratissimam etc.

Sed missis aliis unum induco testem Lanfrancum archiep., qui in decretis suis pro Ordine S. Ben. (c. I. sect. 2, Opp. ed. Venet. 1745 pag. 188, Migne Vol. 150, col. 450) et *Beccensem* ritum et *Anglorum* testatur apprime consentientem cum nostro hodierno officio: In III^o Nocturno, inquires, pronuntientur haec evangelia: Liber gener., Exiit edictum, Pastores, In principio [cum suis homiliis]. Quibus expletis cum responsoriis suis incipiat Dns. Abbas: Te Deum laudamus. Quo dicto legat Evangelium: Liber Generationis. — Quis plura desiderat?

Ad haec antiquitatis testimonia accedunt

II. rationes haud spernendae, quae hunc usum magis quam ullum alium commendant. Ex quatuor Evangelistis S. Marcus nihil habet de Nativitate Domini, ergo non legitur hac festivitate. Johannes summatim rem tangit gravibus verbis: Et Verbum caro factum

est; quapropter hoc Ev. proclamatur in summa Missa, III^a sc. Duo solummodo Matthaeus et Lucas expressam texunt de hoc mysterio narrationem; ipsorum ergo Evangelia oportet iure recitari in hac sacratissima nocte, tempore ipso sc. Nativitatis, et cum Lucae Ev. Exiit edictum personet in I^a Missa, rite Matth. Ev. cum suo De qua natus est Jesus, ante hanc Missam in fine Nocturnorum solemniter decantatur, alioquin ille taceret, qui primus hoc mysterium descripsit. Et alia est obvia ratio.

Quatuor enim Evang. initia cum suis hom. cantantur in III^o Nocturno; singula haec Evangelia etiam integra recitari consentaneum est. Atqui

quartum Ev. In principio cantatur in III^a Missa,

tertium » Pastores » » II^a »

secundum » Exiit edictum » » I^a »

ergo primum Ev. Lib. gener., cum in Missis non habeat locum, integrum oportet cantari in fine Nocturnorum, quia alius locus non restat.

Dices: sed tamen huc illuc introductus est usus canendi Ev. Exiit. Verum est, sed solidis fundamentis caret. Nam praeter paucas editiones breviarii, quae ipsae postea ad melius conversae Ev. Matthaei restituerunt, pro illo usu recurritur ad analogiam quandam ex declarationibus S. R. C. 2. Mai 1801 et 1. Sept. 1804 desumptam. Sed si rem penitius inspexeris, facile videbis, hoc argumentum, quod ex Supplem. brev. Bened. monastici (Landshuti 1877) etiam in editionem Tornacensem (1884 l. c.) irrepsit, prorsus nihil valere. Nam declarationes allegatae emanarunt pro clero, qui breviario Romano utitur, ergo singulare nostrum usum omnino non tangunt; insuper nihil aliud volunt nisi ut Evang. Missae concordet cum homilia III. Nocturni, quod apud nos, uti supra ostendimus, iam ad unguem quadrat. Ergo ad Evang., quod est in quaestione, eas declarationes non pertinere liquat. Quapropter ille usus, parum vel nihil fundatus, relinquendus atque antiquus ritus retinendus est cantando Ev. Liber generationis. Ab. Bened. Br.

Kleinere historische Mittheilungen.

I. In Band XXV. (S. 221—271) der »Forschungen zur deutschen Geschichte« veröffentlicht der junge Gelehrte Dr. Walther Schultze in Halle eine Studie über »Gerhard von Brogue und die Klosterreform in Niederlothringen und Flandern.« Unsere Kenntnisse über den hl. Gerhard († 959) und sein Werk haben durch die neuerdings erfolgte Veröffentlichung der »Translatio S. Eugenii« (Anal. Bolland. III. 29—64) eine durchaus wesentliche